Schedel Nicolai Alex: Corona Liliorum ad Solennem S. Georgii diem



CORONA
LILIORVM
ad Solennem
S. GEORGII Diem,
Perillustri, & Admodum Reuerendo Domino,
D. GEORGIO
IANVSZOWIC
I. V. DOCTORI
CANONICO CRACOVIENSI
DECANO SENDOMIRIENSI
Ecclesiæ B. M. V. in Circulo Crac:
ARCHIPRESBYTERO.

vnà cum festiuo, auspicatissimæ Introductionis ad Archipresbyteralem Dignitatem applausu, officiosissimi cultûs, & Gratulationis ergo.

A

NICOLAO ALEXANDRO SCHEDEL, S. R. M. necnon *Illustriss: ac Reuerendissimi Dñi.* EPISCOPI Crac: Ducis Seueriæ, Typographo.

DEDICATA.

Anno Salutis 1678. die 24. Mensis Aprilis.

In Stemma

Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini.



Hortus conclusus si Virgo est? effloruit in Qua,

Matris, & æternæ Virginitatis honos:

Virginis in Templo Sacrâ florere Tiarâ,

Quidni Prælati, Lilia pulchra decet?



PERILLVSTRI ET ADM: REVERENDO DNO:

D. GEORGIO IANVSZOWIC

I. V. DOCTORI,

Canonico Cracouienſi, Decano Sendomiriẽ, Eccl: B. M. V. in circulo Cracouiensi

ARCHIPRESBYTERO.

DOMINO ET PATRONO AMPLISSIMO.



Elicitas hac Vrbis Noſtræ, quæ Te Archipresbyteralis Eccleſiæ, Sacro Regimini admotum, in argumentum publicæ lætitiæ dedit: Honoris Tui inſigni authoramento id meruit, vt omne Solennium rumpat. Communicatio quippe gaudij, quo nunc affluimus; vt Gratias loquatur, neceſſitatem habet; cum nemo in hac Vrbe ſit, qui non aliquid, ex amœniſſimis Solennium Tuorum Gratijs decerpat. Agnoſcit in Te Metropolis Regia, Patritium Sanguinem ſuum; cui volupe eſt, ea in Te Virtutis & Gloriæ Coronamenta ſibi polliceri, quæ in magnis SŁOWIKOVIIS *Anteceſſoribus Tuis floruêre. Agnoſcimus omnes in Corona Tua, pretioſas veri Honoris Gemmas, diu cæpti Eccleſiaſtici laboris guttas; quæ non prodeunt, niſi meritis exprimantur.*

Domestica quidem LILIA Tua, *potuissent Tibi amœniùs iter, ad honores persuadere; sed Tu elegisti, constans meritis, & diu probatum; vt securiùs gauderes. Quod ergo pulcherrimum Gloriæ Tuæ hoc nobis lætissimum; quibus in accessu Honoris Tui, id maximè iucundum; posse Nos eodem gaudij sinu, & dignitatem Tuam, & felicitatem nostram excipere; ac velut Lilijs optimæ spei, coronari: Mihi certè, publicus hic lætitiæ Plausus, tanto intimior est; quantò maiori nexu, teneri me ad pronam Tui Venerationem sentio: & Illustrissimi ac Reuerendissimi Principis ac Domini* ANDREÆ TRZEBICKI *Episcopi Crac. Ducis Seueriæ, eximiâ Protectione, & Liliorum Tuorum candore, ac singulari in me gratia deuinctus. Coronatis proinde Votis vt amplitudinem Honoris Tui prosequerer; Solennem* D. GEORGII *Martyris Tutelaris Tui diem, opportunam elegi; quâ Tuis ipse Lilijs, in hac Archipresbyterali Ecclesia, & Dignitate Tua, Coronatus prodires. Decora hæc Tua sunt, quæ ex Te ipso decerpta, & in Coronam hic Virtutis, ac Gloriæ Tuæ nexa, æternitati transcribimus. Tu meum in ijs erga Te cultum & Obseruantiæ pignus; humanissimo affectu, atq; Patrocinii gratiâ, cum dignaberis; opellam hanc quamuis exiguam, satis Coronatam putabo.*

Perillustris & Admodum Rndæ
Dominationis Vestræ.

Deuotissimus Cliens
ac humilis Seruus.

NICOLAVS ALEXANDER SCHEDEL.

C O-



CORONA LILIORVM

Genuinum Virtutis decus

LILIORVM innocens ebur, ad Prælatos Ecclesiæ spectat;
quos animorum Lilia decent.
Non est pulchrior CORONA *quàm Innocentiæ*;
primarijs, in Ecclesia Viris tanto conuenientior;
quanto viciniùs summæ puritati assistunt;
cuius in terris & vices agunt, & oracula promunt.
Eminentissimum caput in lilijs,
vniuersos Hortorum flores, quamuis supergrediatur;
candidissimum ad omnes verticem demittit.
Corona Prælatorum maxima,
Gloriâ, & Honore ab omnibus coronari;
inclinari ad omnes:
Lilium innocens haberi, sed non inter spinas,
nisi aculeis Zeli armari oporteat;
quoties pro Deo, & Ecclesia agitur.
Felices spinæ, quæ non vulnerant, sed tuentur;
etiam Lilijs decoræ, si germina sua fidis excubijs coronant.
Sed quis putasset?
ad CORONAM LILIORVM, sanguinis esse iter?
quod in Martyre GEORGIO cruentum,
in vestigijs defensæ Innocentiæ, lilia germinauit.
Fortitudo Martyris,
non conculcauit tantum draconem, sed transfixit;
Sanguine mox fuso pro Fide, & innocentia cordis;
vt pro paludamento militari fieret,
Byssus, & purpura indumentum eius.
In aureola Martyrij, guttæ sanguinis, gemmæ sunt;
quæ Dilectum Deo candidum fecerunt, & rubicundum;
pulcherrimo inter Rosas, & Lilia nexu;
dum nemo inter Lilia pascatur;
qui stolam suam in sanguine AGNI non lauisset.

 Fasci-

Fasciculus hic Liliorum,
in Diuo Martyre Tutelari Tuo,
gloriæ Tuæ coronamentum est,
Perillustris & Admodum Reuerende Domine
GEORGI IANVSZOWIC,
Basilicæ Cracouiensis, quæ Assumptam in Cælos Virginē colit,
ARCHIPRESBYTER Infulate
Heroëm animum in Diuo Martyre Tuo secutus,
ad CORONAM LILIORVM tutissimum iter putasti,
diu meritis signatum, & constantiâ inuictum.
Gentilitium hoc EBVR Tuum,
quod Patricio in hac Vrbe Sanguini debes;
non inter insignia tantum Tua numeras;
sed inter animi quoq; decora censes;
ne frustra vestibulum Lilia coronent; si pectoris conclaue, Candore, & Innocentiâ non floreat.
Fuêre ex Sanguine Tuo,
qui LILIA sua, GEMMIS Cathedralibus inserentes,
præiuerunt Honori Tuo;
vt rem omnium pulcherrimam consequereris.
inter Flores & Gemmas Prælatorum, intra easdem Coronas censeri,
Peraugusti Capituli Cracouiensis
Tres CORONÆ
pretiosam Ecclesiæ Dei, & Patriæ gemmarum
Dactyliothecam complexæ;
etiam LILIIS Tuis in Areolas cessere;
intra quas Virtute, Sapientiâ, Authoritate,
germinauit vt Lilium,
Perillustris olim *& Adm: Rndus*, Patruus Tuus,
BARTHOLOMÆVS IANVSZOWIC
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonicus;
cui clauum suum, Ratis ZADZIKOVIANA cùm commisisset;
inuenit in eo felices Ecclesias suas;
cum optimo regimine, coronatum in portu dirigeret cursum,
tanto Antistite dignus
Generalis AVDITOR.

Datus

Datus & Germani Sanguinis Tui Decor,
Sacris Cathedræ Præmysliensis, coronamentis, & vsibus;
magno de se Zamoscij Præsulis iudicio
ex virtute respondit.
Perillustris olim *&* *Admodum Reuerendus*
IOANNES IANVSZOWIC
Ecclesiæ Cathedralis Præmysliensis Canonicus,
mirâ illâ animi integritate, prudentia, suauitate, & cultu,
verè Lilijs ad omnes Candorem, & Gratias locutus.
Nec defuit Oraculis quoque sacræ Eloquentiæ,
ex germinibus Tuis gratia,
in
Admodum Rndo olim, *& Religiosissimo Patre*
ERASMO IANVSZOWIC
Sacræ Theol: Præsentato
Ordinis Prædicatorum Candidissimo Flore;
in cuius ore facundo, MARIÆ Nomen dulcissimum
non vna Liliorum grandine,
Panegyristam suum inundauit.
Floruêre hæc omnia,
ad Coronæ Tuæ augmentum, & Nominis gloriam;
vt quæ in ijs summa fuêre, dum continuas, & imples;
decora Maiorum, Infulatis etiam honoribus
coronares.
LILIVM Tuum
Laureis primo Doctoralibus insertum,
à sapientiæ cultu, venit ad lucis publicæ Solem;
Spectatissimum ex eo,
quod in oculis maximi Antistitis, & Senatoris,
meritorum tot Olympiadas exegisset.
Speculum Vitæ Tuæ
candidissimi OLORIS Innocens pupilla;
in cuius limpido probitatis idea omnis,
virtutum tuarum ita composuit decus;
vt in eo facilè appareat, quam ex nitido venerit.
Vidimus Seculo nostro,
AQVILÆ Sarmaticæ CYGNVM Atlantem,
Regias vices impleuisse, & sustentasse fortunam Regni,
cùm maximè labasceret;
dignas Imperio mentes, prout intelligente;
ita, & Cygnea voce, Regem nobis dicente, *IL-*

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
PRINCIPE
ANDREA TRZEBICKI
Episcopo Cracouiensi, Duce Seueriæ;
cui debemus
Quidquid in Ecclesia Dei Sacrum & illibatum;
quidquid in Patria augustum.
Ab hoc OLORE,
Si Regnatrices AQVILÆ probantur?
quidni gloriæ Tuæ, Coronamentum maximum sit:
LILIA illi Tua probata,
tanto meritorum experimento placuisse.
Ab hac Principe manu
digna meritis Tuis veniens gratia;
quæ Te Peraugusti Capituli Cracouiensis,
Trium Coronarum gemmis addidit;
nunc in Basilica Assumptæ in Cælum Virginis,
Scilicet in Lilieto suo,
Eminentissimum Cleri Archipresbyteralis Ecclesiæ Florem,
bonis vtiq; auibus,
nempè Cygnis fauentibus
plantat.
Circulus hic Tibi,
metropolis Regiæ honor, & amor;
cor Magnæ Virginis
Centrum est;
in quo Tibi Cleri, & Vrbis occursus,
Aue salutatorium cum dixisset;
effloruerunt omnium pro Te vota,
Ceu Lilium in decore suo.
Quod ergo
Augustissimæ Cælorum Reginæ,
felix Sabbathum cæpit;
D. GEORGII Tutelaris Tui,
Coronata Lilijs,
verè Dominica continuet dies;
vt quod Domini Mater benedixit,
in GEORGIO triumphet.
ita Ecclesiæ, Clero, & Vrbi,
honoriq; Tuo vouemus;
vt longæua Seculi, & regiminis Tui,
CORONA fiat,
sicut
ACERVVS LILIORVM.



